DE

HYDROCEPHALO.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
A. D. II. M. JUNII. A. MDCCCXX.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

FRID. HERMANNUS REUSCH

OTTMARSBOCHOLDIENSIS - GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS
BECKER ET PIELSTICKER,
STUDIOSIS MEDIDINAE.

BEROLINI TYPIS TH. BRÜSCHCKE.

VIRO

GENEROSO PRAENOBILISSIMO AMPLISSIMO

CHRISTOP. de NOTZ

SUMMA REVERENTIA PIETATEQUE

COLENDO

NEQUE MINUS

VIRO

PRAENOBILISSIMO REVERENDISSIMO

IOHANNI HEINRICO

SCHULTE im BUSCH

TUTORI SUO DILECTISSIMO

SUMMA REVERENTIA PIETATEQUE

COLENDO

HASCE

LITTERARUM SUARUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

De Hydrocephalo.

Nomen Hydrocephali a Graecis vocibus ὕδωρ et κεφαλη ductum, morbosam humoris in capite collectionem generatim significat. Morbus homini cum variis animalibus domesticis, uti equo, vitulo, ovi, est communis. Secundum originem, sedem, decursum, atque complicationes in varias species dividitur. Huc spectant: Hydrocephalus externus, si aqua inter cutem et cranium sine communicatione cum cerebro haeret, Hydrocephalus internus, si humor in cavo cranii stagnat, qui quidem pro diversitate loci, quem obsidet, in Hydrocephalum internum proprie sic dictum, latice inter cerebrum atque cranium effuso, et in Hydrocephalum encephaloden, latice in substantia cerebri, cerebellique vel in ejus ventriculis habitante, subdividitur; Hydrocephalus universalis at-

que partialis, prout fluidum cerebro toti vel parti incumbit; Hydrocephalus complicatus atque simplex, prout cum aliis morbis vel sine his incedit; Hydrocephalus chronicus et acutus, quae nomina a decursus diuturnitate sumta habemus, Hydrocephalus idiopathicus, affectio primaria capitis, symptomaticus vero alterius morbi effectus est atque comes.

Symptomatologia.

Symptomáta, quae nos de hoc morbo certiores faciunt, sunt secundum morbi stadium atque sedem diversissima, quapropter quaevis species speciatim nobis est tractanda. Igitur ab Hydrocephalo externo incipiamus. Hic aquae morbose secretae collectio ut jam supra memoratum, inter cutem et cranium sine ullo cum cerebro ejusve membranarum commercio sedem suam habet. Saepissime fluidum in tela cellulosa inter cutem atque pericranium invenitur, quo in casu Hydrocephalus cellulosus vocatur, et per tumorem mollem et inelasticum, fluctuantem, cute tensa, colore parum aut nihil mutato, totum fere capitis circuitum obsidentem, neque pulsantem sese ma-

nifestat. Ossium margines digito explorante haud amplius detegi possunt. Interdum vero aqua sub pericranio ipsis in ossibus collecta est, ubi tumor magis tensius, durior, et raro supra totum caput est diffusus, sed modo uni vel pluribus locis incumbit, unde et nomine Hydrocephali partialis externi insignitus est. Hic aqua in sacco invenitur, qui forma sua externa tumores cysticos refert. Interdum Hydrocephalus internus aqua suturas dehiscentes penetrante in superficie cranii hydrocephalo externo partiali tumores similes praefert. quo diagnosis turbatur. Exploratio vero tumoris accuratior, qui bursae propendentis formam exhibet, ceterorumque symptomatum, quae omniã in hydrocephalo externo, minus aegroto inimica sunt, cum cerebrum non sit affectum, lucem affert. Tumores, qui ex hydrocephalo interno originem suam trahunt, pressi vertiginem, obnubilationem, convulsiones etc. movent.

Hydrocephalus internus chronicus, saepissime congenitus una cum aliis formationis vitiis in conspectum venit. Qua propter nisus formativi retardatio aut aliud vitium haud injuria inculpatur, (vide Meckel Handbuch der pathologischen Anatomie.) Interdum accidit, ut hoc malum annis

pluribus post notalem diem praeterlapsis adpareat, quod inter secundum et septimum annum, ossibus cranii mollibus flexibilibusque fieri solet. Dispositio ad hunc morbum jam dudum ante eruptionem ossibus calvariae distantibus, sese prodit. Propter decursum diuturnum, qui saepe plures menses et annos perdurare potest, a nonnullis medicis et hydrocephalus chronicus appellatur. Aqua inter cerebrum et cranium, modo inter membranas ipsas, modo inter illas et cranium vel cerebrum pedetantim accumulatur, vel etiam in magnis saccis, qui hydatides audiunt includitur, vel in substantia cerebri haesitans invenitur.

Raro aquā inter cerebrum et piam matrem stagnat. Per aquae collectionem in cranii cavitate ossa et integumenta externa adeo distenduntur, ut capitis circuitus viginti quatuor, ad triginta digitorum et amplius sit, atque ossa ipsa post mortem tenuissima perforataque inveniantur. Dilatatio omnibus in partibus non semper aequalis est, sed in ossificationis punctis, praeprimis ossium frontis maxima esse solet. Quo fit, ut inter ossa cranii atque faciei magna dispropotio oriatur, et totum caput massa informis ingens adpareat. Aqua, quae saepe copiosior, quum ut credi possit, ab

ncia una ad libras octodecim adest, continuo ce-
ebrum premit, et ejus formationem cohibet, unde
ost mortem valde minutum interdum etiam tam
xtensum, ut crassitudo ejus modo, quatuor vel
ex linearum sit, nobis se ostendit.

Glandulam pituitariam atque pinealem ambitu
imis auctam, vasa resorbentia dilatata, gyros,
ulcos cerebri penitus deletos invenimus. Qui
oc morbo laborant, habent faciem pallidam, cu-
em tenerrimam, oculos lacrimantes, prominen-
esque. Facies torva, interdum strabismus, pupilla
latata, pulsus celer, parvus, inaequalis. Fere
erpetui cervicis capitisque dolores adsunt, de gra-
itatis frigorisque sensu in capite queruntur, uri-
a parca, lactea et sudor. (vide Formey von der
Wassersucht in den Hirnhölen. Berlin 1810.

Respiratio anhelosa, anxia, visus auditusque
ebetes, narium pruritus, quas inde miseri saepe
runt. Cachexia, si cum hoc malo incedit, vitiis
rganicis, hepatis, lienis, etc. niti solet. (vide von
oelis Abhandlungen der Gehirnhölen Wassersucht,
n seinem Buche der Kinderkrankheiten. Wien
1815.

Morbo provecto gravitas capitis crescit, caput
n latus vel retro collapsum gerunt, stupidi et

muti redduntur, sunt somnolenti, et oculis semiapertis dormiunt. Titubant dum incedunt pedem super pedem decussatim proponunt, digitos libenter sugunt, et in ore aliquid tenent. (vide Goelis Abhandl.

Frequenter ā tussi vomitu, convulsionibus maxime erecti et morbo crescente corripiuntur, quibus ab affectionibus minus affliguntur, quando cubant.

Dentitio praeter normam peragitur. Corpus macie conficitur, languescit. Fonticuli atque suturae non coalescunt. Sub finem morbi valde dilatantur, oculus lucis receptivitatem āmittit, lingua arida calidaque observatur. Sensus deminuuntur, caput humeris recumbit, pedes tumescunt, pulsus minor, frequentiorque redditur, denique in soporem et convulsiones cadunt, quas mors e vertigio sequitur.

Huic affinis est Hydrocephalus acutus cerebri ventriculorum, qui longe velocius, modo per quatriduum, modo triginta dies, et ultra decurrit, et cum symptomatibus atrocioribus incedit. Aquae collectio in cerebri ventriculis est, unde cerebrum intus premitur. Crānii ossium distensio nulla observatu, quae generatim jam coaluerunt, unde

erebri pressio atque irritatio vehementior. Fe-uentius pueros, quam adultos infestat. Illis ab nno aetatis secundo usque ad octavum, raro prius el serius, insidias struit maxime inter dentionem.

Quae symptomata hydrocephalum acutum no-is significant, sunt fere haec: Dispositio heredi-aria atque congenita negari non potest. Pueri ac designati, modo prius modo serius post nata-em diem, calvariae formām propriam, quae simi-or globo, quam ovo est, habent. Oculi penitus n orbitas quasi retracti, os frontis latum valde rominens, caput totum majus, quam ut aetati espondere possit. Ingenium solito prius valet.

Modo sine, quod in Hydrocephalo acutissimo bservatum habeo, modo cum prodromis scenam perit. Huc spectānt:

I. Exanthema aridum tenueque in lacerti la-tere interno.

II. Urina lactea, turbida, quae jam dudum ante eruptionem morbi redditur.

(vide Odier vom Wasserkopfe in Sammlung auserles. Abhandl. für prakt. Aerzte. B. 9, S. 320.

Formey in dem oben angeführten Werke.

III. Pueri ante hilares morose se habent, a par-

tu fere continuo vagiunt lamentanturque, pedibus capiteque erectis, situm decubitum supinum amant. Feces sunt virides, quod Goelis (vide seine Aahandl.) signum certissimum hydrocephali imminentis habet.

Saepe ingemiscunt in unum locum oculi defiguntur, aegrotulique resante sibi pergratas abhorrent, vomiunt, nares saepe scabunt, res porrectas capturi non tangunt. Somnus rarus et inquietus, indeque excitati clara voce clamant. Pulsus nunc quidem normalis, raro sermonem explicare discunt, balbutiunt, vultus stuporem declarat, et ipsos negligunt parentes.

IV. Titubant dum incedunt, cadunt facillime et passibus magnis, et quasi pedibus paralyticis, sese dimovent. In genis rubor circumscriptus vel in ambabns vel modo in altera palida.

Morbo provecto multa symptomata ejusmodi et frequentius animadvertuntur, quae morbum clariorem et medico ignaro facile cognoscendum, reddunt. Cum morbus symptomatibus subinde recrudescentibus progreditur. Decursus totus in tria stadia a medicis est divisus, de quibus protinus verba faciam.

Stadium primum his designatur: plurima symptomata sensibilitatis augmentum indicant; v. c. impatientia rumoris cujusvis timor lucis cum pupillarum contractione, aegri sunt inquieti, de doloribus vagis caput praeprimis tempora, frontem, cervicem, humeros, brachia, abdomen, occupantibus, qui saepe subito evanescunt et revertuntur, neque pulsu neque musculorum agitatione augentur, multum queruntur. Calor praecipue capitis auctus est, alvum obstructam, apetitu vigente habent, lingua humida puraque, vel muco tenui tecta, cutis arida, urina clara, pellucida, limpida, parca. Inter cephalaeam magnam photophobia ad retinam sensibilitatis augescentis, evolvitur.

Oculi lacrymantur, conjunctivae vasa sanguifera sanguine turgent. Pulsus celerrimus atque inordinatus est, sub vesperem febris paroxysmi nullo ordine adparent. Ad caput miseri inscii manus saepe referunt situm erectum tenere nequeunt, sed stantes titubant tremuntque. Accedit vomitus pertinacissimus, qui in erecto situ valde recrudescit. Accedunt delirium somnolentia, pavores ex somno, et in lecto sese cum hilaritate elevant.

Sub his signis

Stadium secundum irruit. Antecedentibus

acutis natura mutatis, nova symptomata adsociantur. Somnolentia atque inquietudo in soporem torporemque sese convertunt, fere omnia sensibilitatem atque irritabilitatem decrescentem annunciant. Miseri capiti tollendo impares, eundem situm tenent, erecti et in situ sedentario atenti, inquiete se habent, student capite recumbere, quo facto quiescunt. Quod tentamen in omnibus hoc morbo laborantibus ad diagnosin confirmandam est constituendum. Lucis receptivitas penitus deletur, pupilla maxime dilatatur, vel fit potius paralytica, oculi semiaperti vultus torvus interdum tamen oculi convulsivi huc illuc moventur.

Objecta porrecta quaerere videntur; tangere tamen non possunt. In hoc stadio saepe diarrhoea erumpit, qua saepe vermes evacuatur. Sub vesperem calor exiguus, pulsus a prioris stadii celeritate ita descendit; ut in horae parte sexagesima modo quinquaginta, usque sexaginta ictus absolvere soleat. Respiratio debilis et inordinata evadit.

Stadium tertium: manus pedesque alternatim calescere atque frigescere incipiunt. Faciei musculi spasmis contrahuntur, saepe latus unum spasmis, modo clonicis, modo tonicis cruciatur. Pulsus repente mutatur, debilis, vix perceptibilis,

remulus, plenus, durus, celerrimus est. Respiatio celeriter, spastice, nunc tarde, profunde erficitur. Lingua atque dentes nigrescunt. Alvus ertinaciter obstructa, abdominis musculi ad verebras contracti, singultus, paralyses, tetanus inidunt, pueri sensibus omnibus orbantur, obcaeantur, turdescunt, torpescunt, mutescunt.

Oculi nitorem prorsus amittunt, muco teuntur, sub convulsionibus vehementibus mors rruit.

Diagnosis.

Symptomatibus supra enumeratis diagnosis, nstituenda, sed nequaquam sine cautione cirumspectioneque magna, ne in errores noxio indamus, cum saepe morbis signis praesentibus, iis causis, uti vermibus, dentitione gravi cerebri, berculis abcessibusque etc. allatis morbus ipse sit, et vice versa, quod a P. Frank observatum t.

Morbi cum quibus Hydrocephalus facile pesneque confunditur, sunt praeprimis helminthia, affectus gastrici, catarrhus, dentitio. Attāmen pectu primi morbi differt, quod morbus ver-

minosus capitis doloribus soporoque minus continentibus, abdominis dolore vero vehementiore insignis est. Vermibus praesentibus abdomon inflatum et saepe vermes exclusi apparent, convulsiones non semper, sed repente in conspectum veniunt, in Hydrocephalo modo provecto. In helminthiasi oculi pupilla dilatata, sed non photophobia invenitur. In illa lingua muco tenaci tecta, in hac nunquam, pueri hydrocephalo laborantes titubant dum incedunt, helminthiasi nunquam.

Ceterum capitis forma morbi decursus, haud raro statum praesentem sat illustrat.

Sordibus in abdomine collectis, lingua muco tecta, sapor ingratus, oris odor ingratus, appetitus abolitus reperiuntur, in Hydrocephalo fere nunquam.

Catarrhus fiens cum Hydrocephalo acuto praecipue ineunte maximo aegroti damno confunditur. Ergo praedisponentem constitutionem atque antecedentia acurate respicias. Neque minus dentitio magnos noxiosque errores intulit; cum haud raro hydrocephalus inter eandem erumpit, et dentitio quasi causa ejus habenda est. Quae propria habet, sunt praeter alia praeprimis haec: rubor, dolor, calor, pruritusque gingivae, in quo loco dentium

eruptio instat, gingiva ipsa albescit, acuminatur, duriorem digito tangenti sese exhibet. Haec symptomata cum aetate aegri conjuncta medicum diagnosin instituentem ducant.

Aetiologia.

Hydrocephali omnis species causas cum quoque hydropis genere, partim comunes, partim proprias habent. Ad illas spectant: causae praedisponentes. Quantum praedispositio, quaemodo hereditaria modo congenita, modo et acquisita est, ad Hydrocephalum procreandum valeat, experientia quotidiana sat docet. Inde pueri constitutione debili laxa temperamento phlegmatico longe frequentissime profligantur, praecipue hereditaria dispositio est pestifera, quae non raro stirpem totam trucidat; atmosphaera humida, refrigeria nervorum influxus, debilitas, morbi male tractati, exanthemata retropulsa, evacuationes habituales, vel naturales suppressae, evacuatione nimiae, rheuma, obstacula vasorum, vasorum lymphaticorum disruptio, spasmi, etc. ad has pertinent:

Aetas infantilis, qua actiones cerebri vitales per magnae, partes teneriores, quam ut sanguini

insistenti resistere possint, vitium conformationis capitis, uti causae praedisponentes, uti causae occasionales, injuriae externae vel in utero, vel inter, vel post partum capiti illatae, uti compressiones nimiae contusiones ictus, collum funiculo umbilicali circumdatum, quo sanguinis a capite refluxus retardatur etc. porro irritationes atque inflammationes, quas causas Hydrocephali primarias habet celeberrimus P. Frank.

Quae opinio respectu Hydrocephali acuti, nequaquam absurda est. Ceterum haud negandum malum congenitum, sine causa antecedente perspicua, observationes quidem recentiores manifestant, secundum quas olim, quum mos esset, inter graviditatem venaesectiones instituendi, minus frequenter, quam hodie apparuit, his et temporibus in regionibus viniferis saepius quam in aliis observatur. Videntur comprobare, diaetam nimis phlogisticam gravidarum multum ad hunc morbum excitandum valere. Causa proxima Hydrocephali secretio morbosa habenda est.

P r o g n o s i s.

Hujus morbi prognosin constituentes in aegroti constitutionem in causas, quae morbum in-

citaverunt atque nutriunt, in morbi sedem gradum diuturnitatemque, in complicationes si adsint, uti in varias rationes externas respicimus. Quod igitur Hydrocephalum, externum attinet, valeant se haec: in genere causis externis sine dispositione hereditaria advectus, facile curatur, facilius etiam si inter cutem et pericranium in tela cellulosa versatur, quam si inter hoc et cranium haerit latex. Quo in casu non raro cum Hydrocephalo interno conjunctus incedit, qui fere semper lethalis est. Si ergo hic aegrotum tenet, est prognosis mala in genere, pessima si dispositio hereditaria nititur. Hydrosephalus inveteratus, cum cachexia, quaedam vix medicabili conjunctus, quo caput jam nimis intumuit, vix et ne vix quidem tollitur. Non minus ominosus est Hydrocephalus ventriculorum cerebri. Attamen stadio primo regnante inflammatione, cognitus saepe sanabilis, morbo provecto fere nunquam.

Quo major aquae collectae copia, eo pejus, si aegroti saepius ex somno expavescunt, miliaria alba erumpunt mors est ante portam. Si in stadio tertio miseri convulsionibus unius lateris affliguntur, paucis modo diebus supererunt. Si vero morbus ad exitum faustum tendit, et sanitas

pristina reditura est, dijectiones alvi falilius succedere solent, aegri caput quaquaversum liberius movere incipiunt.

Interdum etiam diarrhoea aquosa mature erumpens convalescendi spem affert, cum ea exsudationes impediuntur. Tandem sudor calidus sequitur, pulsus fit frequentior mollis et sanitas redit.

C u r a.

Nostrum est sanare, igitur aquae evacuandae et collectione novae praecavendae operam damus, eā mente ideo medicamenta interna externaque in usum vocamus.

Ad Hydrocephalum externum sanandum, raro medicaminibus internis opus est, sufficiunt in genere externa, quae cutem incitant roborantque, transpirationem movent, et tali modo evacuant. Huc spectant caustica, quae capitis variis locis adplicata ulcera artificiosa, quibus aqua defluit adducunt. Porro spiritus camphoratus, acet. squil. acet. vin. ungt. Neapolit. etc. frictiones specierum herbarum aromaticarum, fomentiones, vesicantia cervici et pone aures adplicatae, frictiones panni

anei fumo lentisci, succini, baccarum juniperi mpraegnati, sternutatoria caute adhibita. Compressiones fascia paulatim arctius adstringenda, rolatae saepe optimum effectum exserunt. Neque ninus opus est, ut caput tegumentis aptis, uti ntei cerati, cuniculi pelle omninoque temperatura calida gaudeat. His tandem sat diu frustra adhibetis, incisiones lanceola in tumoris parte inferiore instituenda sunt, neque tamen non cautione t: exploratione adhibita, utrum commercium cum cerebro adsit, nec ne quod ex ante dictis cognoscere potes, quo in casu incisio est periculosa. qua his viis effusa fomentu adstringentia in capite uram claudunt.

Contra Hydrocephalum internum s. chronicum medicamina externa sola perparum valent, quapropter modo cum internis juncta adhibentur. E medicaminibus internis eliguntur, quae aegroti vires falciant, urinae, sudoris, alvique excretiones moveant, in genere, quae systema lymphaticum raeprimis agant. Huc spectant: Alkalia quaedam, quilla maritima, digitalis, quam vero nunquam ntis dosibus, quantae cerebrum male afficiant, ire debes. Porro, baccae juniperi, petroselinum dix ononidis spinosae, millepedae, cremor tar-

tari, flores sulphurici, acida vegetabilia et mineralia aquae minerales, selterana etc. China tandem, quam in forma decocti optime praescribe, glandium quercus coffea lacte vaccino juncta, radices rubiae tinctorum, et si abdominis obstructiones infarctusque adsunt, calomelas cum digitali junctus remedium optimum exstat. Dosis in qua datur, est pro infantibus $\frac{1}{8}$ - $\frac{1}{4}$ grani, pro majoribus $\frac{1}{4}$ - 4 gr: additur digitalis purpur: $\frac{1}{2}$ - $\frac{4}{1}$ grani etc: atque tam saepe praebetur, ut per diem sex, vel octo dejectiones succedunt. Nec minus morbi initio, subjectis robustis visceribus integris, folia sennae, jalappa, gummi guttae etc: intervallis brevibus data prosunt. Etiam diaphoretica laudantur, camphora ammon: acet: opium.

Si paralyses adsunt, moschum, arnicam, scillam maritimam melle conjunctam in sequenti dosi:

Extr; arnicae gr: IV oxym: squillit: ℥ii maxime laudatum invenio.

Externe frictiones oleum terebinthinae in regione renali, ungt: juniperi, Neapolitanum, ungt: tart: stibiat: capite infricatum. Fonticuli pone aures, vesicantia atque setaceum cervici adplicata. Compressiones, raro sunt boni effectus, paracentesis instituta mortem semper advocavit.

Hydrocephali acuti cura.

Hydrocephalus acutus alia natura, aliterque decurrens et alia medicamina, quae morbi stadiis adaequanda sunt, poscit. Igitur morbo in primo stadio, i. e. stad. inflammationis cognito, opposcuimus methodum antiphlogisticam, ea mente igitur hirudines temporibus atque regionibus pone aures adplicamus, vesicantia in cervice ponimus, damus purgantia, diaphoretica uti salia vegetabilia mineraliaque, porro succos herbarum, mannam, pulpam tamarindorum. Aeger frigide habendus est, lux, rumorque absint, in situ alto caput quiescat, omnibus aestuantibus evitatis, uti pulvinare plumis infarcto, haustibus vini, carne etc. potiones refrigerantes acidiusculae ex aqua cum oxymelite mixtae valent. Neque cura animi negligenda est, omnia pathemata deprimentia exitantiaque salutariter removebis. Propter affectiones nervosus, quae morbi naturam in inflammatoriam hujus stadii concomitantur, venaesectionem non instituimus.

Optime derivantia, ut a capite irritationem deducamus adhibemus, quod facillime per alvum ob connexum, intimum hujus cum capite effici possumus. Igitur purgantia tali modo ut quotidie

sex vel octo dejectiones alvi proferant, adhibemus. Optimum remedium mercurius dulcis est, qui a grano dimidio usque ad duo cum floribus Zinei ppta, Hba: digital: purpur: conjunctus, effectum egregium profert, juxta decoctum Levistici, valerianae, spirit: nitr: aether: adhibemus. Dosis est secundum copiam dejectionum proferendarum secundum aetatem constitutionemque augenda, minuedaque. Horum medicamentorum usum, tam diu continuamus, donec malum manifeste decrescat, quo facto dosibus paulatim minutim descendemus.

Digitalem squillam adhibens, cave ne obnubilationem congestionesque ad caput promoveas, ergo parvis dosibus $\frac{1}{8}$ - $\frac{1}{4}$ grani initium facias. Morbum decrescentim vomitu remittente ex urina copiosiore atque clara et lingua cutique humida, ex oculorum sensibilitate spastica, jamiam evanescente et ex hilaritate puerorum cognoscere potes. Externe etiam fomentationes frigidae in capite, balnea saponacea multum laudantur.

Morbo in stadium secundum transgresso, quod capitis frigus atque status soporosus praeprimis designat, methodus antiphlogistica in exitantem atque derivatoriam est convertenda, cave tamen ne quid

nimis. Medicamenta, quae pulsum nimis accele-
rant, congestiones ad caput exitant, uti opium, aet-
herem, vinum etc. evites.

Igitur eligas medicamina, quae in Systema ner-
vosum praeprimis, minus vero sanguineum agant. Huc spectant: camphorae, alkali volatile, moschus, etc. cum calomelanis gr: uno, convulsionibus prae-
sentibus gr II - IV omni hora datis combinatis, cui adhuc sal volat: c. c. ad grana duo adjungere potes. Diuretica, uti thea, baccae juniperi, ect. in hoc stadio egregia sunt, cum hoc in stadio metho-
dus derivatoria fortius agat necesse sit. Calomela-
nem statim dosibus magnis, e. g: ad grana quat-
uor usque octo dare debes, ut alvi dejectiones copiosisimae sat diu succedant; calomelani nunc et parva dosis digitalis addita prodest. Si mercurius ptyalismum non movet sed dejectiones sub viri-
les consistentes producit, bonum. Ut derivatoria externa, quae saepe effectum optimum adducunt, vesicantia brachiis aurisque adplicata; frictiones acet: squillo c. Tinct. cantharidum; in abdomine atque suris institutae, ungt: Neapolitani inunctiones in crurum latere interno, ad grana XV, usui interno mercurii succurrendi causa, ungt: tart: stibiat maxime laudantur. Frigoris applicatio a nonnul-

lis medicis commendata est. Ad hunc finem aetherem capiti tonso instillare (Formey) (quod tamen secundum experimenta Goelis nil prodest) fomentationes frigidas ex ammonio muriatico, kali nitrico aqua solutis paratas, omni horae quadrante, vel quoties calefactae sint, renovandas praescribunt. Porro vesicantia in capite ipso, neque minus ulcera artificialia adplicata, auxilium tulisse ferunt. His medicamentis omnibus frustra tentatis non raro perfusiones capitis ex frigida auxilium tulit, (Heim) qua tali modo instituantur. Postquam aeger apte collocatus est, collum pectusque refrigerationem praecavendi, causa satis tecta, ut aquam in radii forma, ab alto in caput antea tonsum cadat donec status soporosus evanuerit curamus. Quae operatio per dies plures, quoties sopor revertat, renovatur, juxta medicamenta interna dare potes. Morbi decursu diuturniore, si calomelanis multum sumtum est et cerebrum valde laticis in ventriculis collecti pressione laborat flores arnicae in forma decocti ad 3i per diem sumti egregie prosunt. Causae occasionales congenitae, et hoc et in morbo therapiam maxima modificant. Si igitur refrigerium malum excitavit, sudorifera si exanthe-

matu retropulsa, balnea acria, ulcera artificialia etc medicamina efficacissima habentur.

CURRICULUM VITAE
EX DECRETO
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE
BEROLINENSIS
ADIECTUM.

Ego Fridericus Hermannus Reusch Ottmarsbocholti Guestphalorum, anno MDCCXCVIII a. d. 31 mensis Aprilis natus, in domo paterna educatus sum.

Anno 1809 Gymnasium monasteriense aggressus per quinque annos litteris, quae ad humanitatem pertinent operam dedi. Quibus praeterlapsis anno 1814 a. d. XV M. Novbr. inter cives Universitatis Monasteriensis receptus sum, et ducibus Clar. Laymann studiis logices, psychologiae, Clar. Roling physices, Clar. Werneking historiae naturalis, Clar. Herold, botanices Clar. Sentrup osteologia et anatomia, Clar. Bodde chemiae materiae medicae, et artis formulas concinnandi, Clar. Siebenbergen physiologiae, Clar. de Druffel pathologiae et therapiae tam generalis quam specialis, Clar. Haindorff

cc morbis mentis, artis obstetritiae theoreticae et rracticae et chirurgiae, operam dedi, in arte caaavera discecandi duce, Clar. Wegehausen pro iiribus incubui.

Exorto bello chirurgi militaris officio in nosocomio Monasteriense functus sum.

Mense octobri anni MDCCCXVIII Berolinum me contuli, civibus hujus Universitatis a Magn. .. t. Weiss a. d. XXXI M. Octobr. adscriptus his ectionibus interfui, Ill. Rudolphi de methodo stuiii medici, Ill. Horn de pathologia et therapia deme doctrina morborum syphiliticum. Ill. Formey ee cognoscendis et curandis morbis chronicis, llar. Kluge de arte obstetritia tam theoretica quam r·actica, unaque Ill. Berends interpretationibus ibrorum Celsi interfui. Denique policlinicum Ill. ufeland, clinica medica Ill. Berends et Ill. Horn ec minus chirurgica et ophthalmiatrica virorum l. Cel. Graefe et Rust, quo potui assiduitate frementavi. Tentamine, examine rigoroso et cursu natomico-chirurgico rite absolutis, spero fore ut occe de Hydrocephalo dissertatione publice defen-, summi in medicina et chirurgia honores in ne conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Chirurgus perfectus, qui non sit medicus perfectus, existere nequit, sed non vice versa.

II.

Non solum evacuatione, sed etiam affectu in nervos, agunt vomitaria.

III.

Pleurae inflammationem ab pulmonum inflammatione vita superstite haud distinguere potes.

IV.

Tussis convulsivae natura inflammatione non nititur.

V.

Aegroti ador cadaverosus non est signum certum mortis adpropinquantis.

VI.

Morbi chronici magis diaeta, quam medicaminibus curandi sunt.